



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum**

**Nicolaus <Eymericus>**

**Venetiis, 1607**

Innocentivs IIII. Illustri Regi Franciae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**



busdam locis publice prædicando, quærentes in cibum simplices, & in prædam edoctos; ac illaqueare nihilo minus fideles quoslibet suis circumventionibus cupientes, facti magistri erroris, qui nunquam fuerunt discipuli veritatis. Unde expedit, quod infurgant vtiliter contra eos, ut eorum omnino hæresi confutata, per totum vigeat fides Christi: nam corona sequetur præmij, tentationibus resistentes. Cum igitur dudum resplenderit in partibus Lombardie fida fides, ac per hoc formidemus ibi potius animalia venenosa, ne forte simplices ipsorum callidis seductionibus circumventi, & astuti prauis circumventionibus periculose decepti in profundum deueniant peccatorum, sicque violatur ibidem fidei firmamentum; nos qui circa horam vndecimam; inter operarios, immo verius supra operarios vineæ Domini sumus à patrefamilias euangelico deputati; moti voce sponsi capere vulpes paruulas, quæ demoliri vineam Domini moluntur, & tacti dolore cordis intrinsecus, non valentes sustinere tantam contumeliam creatoris, ac volentes tot animarum periculis obuiare; discretionem tuam rogamus, monemus & hortamur attente; per Apostolicæ tibi scripta sub diuini obtestatione iudicij districte præcipiendo mandantes, quatenus aliquos de fratribus tuis tibi commissis, in lege Domini eruditos, quos ad hoc idoneos esse noueris, ad partes tibi secundum tuum ordinem limitatas transmittas; qui cleris & populo conuocatis generalem prædicationem faciant vbi commodius viderint expedire: & adiunctis sibi discretis aliquibus ad hæc sollicitius exequenda, diligenti perquirant sollicitudine de hæreticis, & etiam infamatis; & si quos culpabiles, vel infamatos inuenerint, nisi examinati velint absolute mandatis Ecclesiæ obedire, procedant contra eos iuxta statuta nostra, contra hæreticos nouiter promulgata: in receptatores, defensores, & fautores hæreticorum secundum eadem statuta nihilominus processuri. Si vero aliqui hæretica labe penitus abiurata ad ecclesiasticam redire voluerint unitatem; ipsis iuxta formam Ecclesiæ beneficium absolutionis impendant, & iniungant eis; quod talibus consuevit iniungi. Attentius prouiduri, ne qui videntur reuerti, sub palliata specie pietatis impietatem committant, & angelus Satanae in angelum lucis se transformet. Propter quod statuta, quæ super hoc duximus promulganda, inspiciere poterunt, & ab eorum insidijs secundum discretionem eorum traditam à Domino præcauere. Ad hæc, ut super præmissis omnibus officium sibi commissum liberiorius possint & efficacius exercere, omnibus qui ad prædicationem eorum accesserint in singulis stationibus viginti dies: illis vero qui ad impugnandum hæreticos, fautores, receptatores, & defensores eorum, in munitionibus & castellis, vel alijs contra ecclesiam rebellantes, ipsis ex animo auxiliium consilium præstiterint, vel fauorem, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate consilijs, tres annos de iniuncta sibi penitentia relaxamus. Et si qui ex his in prosecutione huiusmodi negotij forte decesserint, eis omnium peccatorum, de quibus corde contriti, ac ore confessi sunt, plenam veniam indulgemus. Ne vero aliquid fratribus ipsis desit ad prædictum negotium profequendum, in contradictores & rebelles ecclesiasticam proferendi censuram tenore præsentium, liberam eis concedimus facultatem. Prædicatores quoque quatuordecim, & quorum interest charitativa tantum subsidia simpliciter petere, ac indulgentiam si quam forsitan habent exponere, à prædicationis officio, quod ad ipsos nullatenus pertinet, compescendi censura simili, eiusdem nihilominus licentiam indulgemus. Datum Viterbij xiiij. Calen. Iulij. Pontificatus nostri Anno Vndecimo.

† Ita in Archetypo, sed viriliter, credo legendum.

† Concillium Biterrense c. 1. Ey me. 3. pat. num. 48.

† Que continetur in bulla proxime præcedenti.

† e. Vt Officij & compescendi de here. in 6. Ey me. 3. pat. 9. 37

### INNOCENTIVS III.

Illustri Regi Franciæ.

*Cancelarius Parisiensis librum Talmudicum suis glossis publice fecit conuocari iubente Gregorio Papa Nono: id confirmat hic Innocentius III. additq; ut Rex ceteros libros inquirat, & comburat: prohibet ne Iudei nutrices, aut famulos Christianos habeant.*

Edita anno Domini 1243.

Ex Regeſto Innocentij III.

Matth. 15. & Mat 7.



**M**PIA Iudæorum perfidia, de quorum cordibus propter immensitatem suorum scelerum Redemptor noster velamen non abstulit, sed in cecitate, quæ contigit ex parte in Israel adhuc manere permittit, prout conuenit, non attendens quæ ex sola misericordia pietas ipsos Christiana receperet, & cohabitationem illorum sustineat patienter, illa committit enormia; quæ stupori audientibus, & referentibus sunt horrore ipsi enim ingrati Domino Iesu Christo, qui conuersionem eorum ex longanimitatis affluentia patienter expectat, nullam prætententes verecundiam culpæ suæ, nec reuerentes honorem fidei Christianæ, omisso seu contempto lege Mosaica & prophetis, quasdam traditiones suorum seniorum sequuntur, super quibus eos in Euangelio Dominus obiurgat dicens: Quare vos transgredimini mandatum Dei, & irritum fecistis propter traditiones vestras, hominum doctrinas, & mandata docentes? In huiusmodi namque traditionibus, (quæ Talmud hebraice nuncupatur, & magnus liber est apud eos, excedens textum Bibliæ in immensum, in quo sunt blasphemix in Deum, & Christum eius, ac B. Virginem manifeste, intricabiles fabulæ, abusiones erroneæ, ac stultitiæ inauditæ) filios suos docent, ac nutriunt; & à legis & prophetarum doctri-



# Officio Sanctissimæ Inquisitionis.

doctrina reddunt ipsos penitus alienos; verentes, ne veritate, quæ in eisdem lege, ac prophetis est intellecta, aperte de vnguento Dei filio venturo in carnem, testimonium perhibentē, conuertantur ad fidem; & ad redemptorem suum humiliter reuertantur. Et his non contenti, faciunt Christianas filiorum suorum nartices in contumeliam fidei Christianæ, cum quibus turpia multa committunt: propter quæ fidelibus est verendum, ne diuinam indignationem incurrant, dum eos perpetrare patienter indigne, quæ fidei nostræ confusionem inducunt. Et licet dilectus filius cancellarius Parisiensis, & doctores regentes Parisijs in sacra pagina, de mandato felicis recordat. G. Papæ prædecessoris nostri, tam prædictum abusionis librum, quam alios quosdā cum omnibus glossis suis perlectis in potestate, ac examinatos ad confusionem perfidie Iudæorum, publice coram clero & populo, incendio concremarint, prout in litteris eorum perspeximus contineri, quibus tu tamquam catholicus Rex & Princeps Christianissimus impendisti super hoc auxilium congruum & fauorem; pro quo regalem excellentiam dignis in Domino laudibus commendamus; ac prosequimur actionibus gratiarum; quia tamen nondum Iudæorum ipsorum abusio profana quieuit, nec adhuc dedit eis vexatio intellectum, celsitudinem regiam at. rō. mo. & obse. in domino Iesū Christo, qui excessus huiusmodi detestabilis, & enormes commissos in contumeliam creatoris, & iniuriam nominis Christiani pie incæpisti laudabiliter prosequendo, faciens debita seueritate percelli, tam prædictos abusionis libros, reprobatos per doctores eosdem; quam generaliter omnes cum glossis suis, qui per ipsos examinati, & reprobati fuerint, mandes per totum regnum tuum, ubicunque reperiri poterunt, igne cremari: siemiter inhihendone de cæteris nartices ꝛ seu seruientes habeant Christianos, ne filij liberæ filijs famulentur ancilla: sed tamquam serui reprobati a Domino, in cuius mortem nequiter conspirarunt, saltem per effectum operis seruos se recognoscant illorum, quos Christi mors, & istos liberos, & illos constituit esse seruos: vt proinde sinceritatis tuæ zelum possimus in Domino dignis laudibus commendare. Dat. Latera. vij. Idus Maij, anno primo.

† Eymers in Di  
rectorio par. 2.  
q. 46. nu. 6.

**I N N O C E N T I V S . IIII.**  
Domini temporales banno exponere debent illos, quos Inquisitores notauerint, ad quod faciendum per censuram ecclesiasticam compelli possunt per Inquisitores.

**I N N O C E N T I V S . IIII.**  
Nnocentius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Priori Prouinciali, & Fratribus Inquisitoribus hæreticæ prauitatis ordinis Prædicatorum in Lombardia, Marchia Teruifana & Romaniola, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Edita anno Do  
mini 1252.

CVM vos Inquisitores generaliter in Lombardia, Marchia Taruifana, & Romaniola contra hæreticos, & omnes sectas eorum quocunque nomine censeantur ad extirpandum inde tam grauis contagij pestem, & malum tantæ prauitatis in Ecclesia Dei nimium pestilens, duxerimus deputandos, dilectos filios Nobiles Viros, Vniuersos Marchiones, Comites, Barones, ac Potestates, Consules, & communia ciuitatum & aliorum locorum per Lombardiam Marchiam Teruifanam & Romaniolam constitutos, rogandos, honorandos, attente duximus & monendos, nostris sibi litteris distinctè præcipiendo mandantes, vt omnes illōs, qui per vos, vel per alios de vestro mandato pro hæreseos crimine, vel pro defensione seu receptatione, aut fauore hæreticorum excommunicationis innodati vinculo, vel denuntiati, excommunicati publicè fuerint, bonis confiscatis ipsorum banno exponant publico, aliàs contra eos temporaliter prout expedire viderint in fulcimentum catholice fidei potestate sibi tradita processuri. Quo circa discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatenus si dicti Marchiones, & alij mandatum nostrum super hoc neglexerint adimplere, vos eos ad id per censuram Ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Quod si duo ex vobis his non interfuerint, vnus ea nihilominus exequatur. Datum Perusij 3. Maij, Pontificatus nostri anno nono.

Ex Archivo  
Inquisitionis  
Bononiensis.

**I N N O C E N T I V S . IIII.**

Inquisitores moneant magistratus, vt leges in hæreticos, & eorum complices latas, conscribant in suis Statutarijs, ac faciant obseruari: & reuenses, ad id per censuram ecclesiasticam compellant.

Edita anno Do  
mini 1252.

**I N N O C E N T I V S . IIII.**  
Nnocentius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Priori Prouinciali, & Fratribus Inquisitoribus hæreticæ prauitatis ordinis Prædicatorum in Lombardia, Marchia Teruifana, & Romaniola, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ex Archivo  
Inquisitionis  
Bononiensis.

ORTHOdoxæ fidei commissum nobis negotium, vestro proficere ministerio cupientes, & considerantes attente, quod iurisdictio vestra, quod fuerit plenior in hac parte, eo ꝛ maior esse poterit fructuosa; volumus & præsentium vobis tenore mandamus, quatenus potestates, consilia, & communitates ciuitatum, castrorum, & quorumlibet aliorum locorum Lombardiæ, Marchiæ Taruifanæ & Romaniolæ monere curetis, ac inducere diligenter, vt statuta nostra, & alia ecclesiastica & sæcularia, & constitutiones

† Ita in Arche-  
typo, sed lege-  
rem, magis.

